



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Sōkratus Scholastiku Kai Ermeiu Sozomenu Ekklesiastikē  
Istoria**

**Socrates <Scholasticus>**

**Mogvntiae, 1677**

Caput VII. De tertia restitutione Pauli Constantinopolitani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14233**

exilium amandaret. Ex quo tamen exilio non ita multo post Emesam cum transtulit, sive ut Constantinopolitanis, qui Paulo in primis studabant, gratificaretur, sive, ut dixi, Persarum metu, qui Singaris assidue imminiebant. Certe haud multo post circa id castrum ingenti praetorio Persae cum Romanis conflixerat. Ceterum Ariani seditionem illam, de qua dixi, cædesque hominum in ea factas, uni Paulo adscribant, ut testatur epistola Synodica pseudolynodi Serdicensis: Sed & de Paulo Constantinopolitanæ civitatis quondam Episcopo post redditum exiisse, si quis audierit, perhorrebet, & multo post. Asclepas vero cum ad Constantinopolitanam civitatem propter Paulum venisset, post immanitatem rerum atrocitatemque commisi, qua media in Ecclesia Constantinopolitana gesta sunt post mille homicidia, que altaria ipsa humano sanguine coquinaverunt, post interfectiones fratrum extinctionesque Gentilium, hodieque cum Paulo, cuius causa hac gesta sunt, communicare non cessat.

## CAPUT VII.

*De tertia restituione Pauli Constantinopolitanis.*

Scribit Baronius Paulum civitate sua atque Ecclesiæ pulsum, Romam ad Julianum contulisse: cum ab eo literas accepisset, quibus in sedem suam restituebatur, eas literas effectu cauisse, quippe cum Paulus non nisi post Serdicensis Concilium Ecclesiam suam recuperaverit. Sed Baronio assentiri non possum. Primo enim fallum est, Paulum tunc temporis Romam venisse, ut in superiori capite demonstravi. Nec verius est, quod asserit Baronius, Paulum Serdicensis Synodi sententia restitutum esse. Certe in epistola synodica Serdicensis Concilii, nulla ejus rei fit mentio. Immo vero Theodoritus in libro secundo Historia Ecclesiastica diserte affirmit, Paulum Serdicensi Concilio minime interfuisse. Obstat ille enim cives urbis Constantinopolitanæ, quo minus eo proficeretur, veritos scilicet, ne ab Arianiis in itinere per insidias interficeretur. Sed & Orientales apud Serdicam Episcopi, in Synodica sua aperte significant, Paulum ab ea Synodo absuisse, ut recte observavit Blondelius in libro de primatu in Ecclesia. Jam ergo ante Synodum Serdensem Paulus Episcopatus sui locum repperat. Quod quidem à Constantio factum fuisse arbitror, vel in gratiam Constantinopolitanorum, qui Paulum præcipuo quodam amore ac studio prosequebantur; vel ob metum Constantii Augusti, qui frequentibus literis ad Constantium missis, ut Paulus, Athanasius & reliqui Orientis Episcopi fuisse in fides restituerentur, postulaverat. Sane rationi consentaneum fuit, ut quoniam inter duos fratres Augustos tandem convenerat, ut ad causam Episcoporum dijudicandam generalis Synodus apud Serdicam congregaretur. Episcopi omnes vinculis atque exilio solverentur, quo libera ipsa facultas veniendo ad Concilium suppetret. Hanc igitur ob causam, ni fallor, Paulus à Singarenis & Emiseno exilio reversus est Constantino-

A polim. Unde cum ad Serdicense Concilium profici sci vellet, à Constantinopolitanis civibus detentus est, ut docet Theodoritus.

## CAPUT VIII.

*De ultimo Pauli exilio, ejusque obitu.*

Post mortem Constantii Augusti, quæ con*tigit anno Christi 330.* Ariani omnime tu jam vacui, adversus Catholicos Antistites multo gravius quam antea insurrexerunt. Ac pri-mum omnium Paulum aggredi, persuadent Constantio, ut illum in exilium ejiciat, Macedonia-num Bero vero ejus loco in Constantinopolitanam Ecclesiæ inducat. Imperator igitur, qui Ariana per fiducia patrocinium palam susceperebat, mandat Philippo Praefecto Praetorio per Orientem, ut Paulum è sede sua protinus exturbet. Quo accepto principiis mandato, Hermogenis Magistri militum casu admonitus, rem prudentius aggredi statuit. Ingressus itaque lavacrum Zeuxippi, Paulum ad se accersivit, quasi de publico quodam negotio cum eo confluturus. Qui cum venisset, Praefectus clam per fenestram quandam eum dimisit, & in palatum abripi jussit. Atque inde navigio impositum, in exilium misit Cucusum, Cappadocia oppidum quod postea minori Armenia contributum est. Ibi cum Eusebiano in arctissimo & obscurissimo quodam loco recluserunt, subtrahit ei penitus alimento, ut hominem inedia enecarent. Post sexum autem diem ingressi, cum eum adhuc spirantem represcissent, contortis pallii laciinis strangularunt, quemadmodum scribit Athanasius in epistola ad Solitarios. Et Athanasius quidem hoc Pauli exilium quartum vocat. Ego vero tertium mallem dicere. Nam Singarenum & Emisenum, licet locis diversa sint, pro unico tamen exilio sunt accienda: cum Paulus à Singaris, quo pri-mum fuerat relegatus, postea translatus sit Emesam. Quod autem Socrates atque Sozomenus scribunt, Paulum à Philippo Praefecto Thessalonicanum esse relegatum, dupliciter falluntur, & in locis, & in temporis notatione. Id enim factum esse scribunt paulo post necem Hermogenis, id est anno Christi 342, quo quidem tempore Philippus non erat Praefectus Praetorii. Neque vero Philippus tunc potuit Paulum relegare Thessalonicanum, quæ urbs tunc parebat Constanti Augusto, non autem Constantio, sub quo Praefecturam gerebat Philippus. Quare verius est, quod Baronius scribit, hæc adversus Paulum à Philippo gesta esse anno Domini 351, quo anno Philippum Praefectum Praetorio tuisse, præter Athanasiū docent leges Codicis Theodosianī, ut notavī ad Ammianum Marcellinum. Sed tunc ut dixi, id est anno 351. Paulus non in urbem Thessalonicanam relegatus est, sed Cucusum, ut testatur Athanasius. Quomodo enim Thessalonicanam relegari potuisset, quæ erat ipsius patriæ, sicut fatentur Sozomenus & Socrates. Quid magis contrarium, quam patriæ & exilium. Benigne igitur cum Paulo actum esse oportet tunc cum nullus est Thessalonicanum. Quid ergo, di-

AA ij